

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

49. Circulatum majus Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

49. Circulatum majus vel acetum accerrimum Lullii,

In Experimento XXV.

R. **M**enstruum vegetabile simplex de tribus individuis *superius sub No. 26. descriptum.* Deinde recipe lunam, eam calcinabis cum mercurio, deinde illud præcipue advertas, ut ex luna calcinata mercurius totus removeatur; ac eodem modo calcinabis solem cum mercurio, postea totus mercurius removeatur ab eo prorsus: Singula hæc duo corpora singulis per se separatim patellis vitreis statue, ac illis singulis per se separatim superfunde de melle despumato, miscendo optimè calces duorum corporum cum melle super cineres, ut bulliat. Postea aquâ destillatâ calidâ lavando, ab ipsis calcibus mel ipsum removebis, & calces remanebunt in fundo vasis. Post ipsas calces melle iterum commiscebis bulliendo, ut supra, ac cochleari commiscendo, ut supra; atque hoc pacto ter tuum opus iterabis tam in calce lunæ, quàm solis. Accipe postea hæc duo corpora calcinata & lota, & constitue in vas solutorium per se separatim, & illis superinfunde de menstruo superiori cœlificato (*de tribus individuis*) tantum, ut supernatet tribus digitis, claude vas antenotorio, juncturis optimè clausis cum cera gummata, ut nullo modo respirare possit: Statue illum in balneum per diem naturalem, ut leniter bulliat, postmodum per duos alios dies pone super cineres, sine ut leniter bulliat, ut supra. Tum partem solis, quæ dissoluta fuerit, separatim in aliud vas per se evacuando transferas, quæ solutio coloris erit flavi. Sic etiam dissolutionem lunæ per se separatim elicias & transferas in aliud vas proprium, quas dissolutiones singulas singulis in vasis, ut supra, in balneo conservabis. Lunæ autem dissolutio erit coloris cærulei vel viridis. Terram verò tam solis quàm lunæ insolutam desicca super cineres: Quo facto, iterum cuique superinfunde de novo menstruo circulato, & clauso vase antenotorio, ut supra, in balneum collocabis, & leviter bullire facias, ut supra, postea eandem bullitio-

litionem prosequere super cineres: Postremò dissolutionem cujusque corporis, ut suprà, decantabis in suum vas transferendo, ubi superiores aliæ dissolutiones servatæ fuerint per se separatim. Hoc autem magisterium toties iterabis, quousque sol totus & luna tota dissolventur. Has verò dissolutiones per se separatim putrefacias spatio 40 dierum, putrefactione facta singulas dissolutiones singulis urinalibus separatim constitue cum alembicis, & recipientibus obstructis, juncturis quamoptimè clausis, ac in balneo priùs destillabis totum menstruum, corpora verò remanebunt in forma olei. Deinde iterum illis superfunde tantum de sua aqua, jamdudum destillata, ut supernatet tribus digitis; claude vas antenotorio, & pone in putrefactione per 24 horas, quibus exactis amove antenotorium, & superpone alembicum cum suo recipiente, & juncturis clausis destillabis lento igne per cineres. Ultimò augebis ignem aliquantulum, ut in aquam transeat aër (*Spiritus animatus.*) Postremò itidem majori ignis gradu urgebis, donec in aërem transcendat ignis (*anima magis viscosa*) frigefactis vasis superfunde iterum remanenti materiæ de nova aqua servata, spiritu animato priùs cujusque corporis in suo recipiente bene clauso, ne respiret, claude iterum urinale cum antenotorio, putrefaciendo, ut suprà, ac postremò per cineres destillabis ut suprà, ultimò, ut suprà, ignem augebis. Sic magisterium iterabis toties, quousque utraque corpora solis & lunæ separatim per aëream revolutionem transmittantur per alembicum. Quod si tota hæc corpora non transibunt per destillationem, parùm quidem remanebit, quod servato pro reliquis experimentis. Cæterùm accipe ipsum spiritum animatum solis, illum rectificata per se sæpiùs per cineres, sed cave, ne quicquam removeas de terestreatibus, quæ singulis rectificationibus remanebunt in fundo vasis, imò potiùs semper super easdem feces destillatam aquam reducito, quousque ad plenum septies peregeris opus. Eundem autem ordinem servato in rectificatione aquæ lunatæ animatæ superiùs servatæ.

His denuò peractis, conjunge has duas aquas inter se invicem, quæ conjunctio dicitur patris & matris, masculi & feminæ, viri & mulieris. Atque sic habebis majus menstruum animale, vegetabile & minerale simul junctum. Ac tria hæc in unam substantiam redacta, quod quidem in vase firmiter clau-

R

so,

fo, ita ne respiret, per 60 dies circulabis; peracta circulatione habebis menstruum majus, deductum in actum, cujus tanta est potentia, ut nullo sermone possit efferri. Hoc ergo est menstruum illud admirabile, quod corpora cuncta dissolvit, cum conservatione formæ vegetativæ & transmutativæ. Hoc, inquam, est illud menstruum in se tantum odoris & fragrantia continens, ut nihil conferri possit. Hoc denique est menstruum resolubile, quod innumeris penè nominibus appellarunt sapientes, acetum acerrimum, quod aurum convertit in spiritum. Hæc est Aqua sicca, Aqua solis, & Aqua vitæ.

Parifinus menstruum hoc quod aliàs mercurium majorem vel menstruum compositum vocat, hac methodo confecit.

50. Circulatum majus Parifini, In Apertorio cap. G.

Rx. **L**unæ optimæ & calcinatæ uncias tres, solis etiam juxta cap. H. (*in quo calcinationes metallorum describuntur more communi*) calcinati uncias duas, singulis per se in suo vitro positis affunde E. circulati five quintæ Essentiæ simplicis (*melle acuatæ; id est, cæli melliflui sub No. 10. descripti*) ad quatuor digitorum super eminentiam. Vasa alembicis suis cæcis clausa pone in balneo per duos, & in cineribus per alios duos dies. Cùm videris aquas quodammodò tinctas, has decanta, & dissolutiones per se serva optimè clausas in balneo, calcibus indissolutis iterum superaffunde E. digerendo, decantando & repetendo toties, donec solare & lunare corpus fuerint reducta in liquidam substantiam. Tum destilla compositum (*dissolutionem*) solis & compositum lunæ in balneo, & corpora remanebunt in vitri fundo instar olei. Aquis verò in balneo abstractis à dictis luminaribus, injice sulphur vegetabile juxta solis & lunæ pondera, & spatio duorum dierum dissolvetur in balneo, quamprimùm autem sulphur dictum in quolibet suo vase fuerit dissolutum, quodlibet affunde suo oleo metallico. Ne autem erres, scias sulphur tuum dissolutum esse istud, cujus præparationem docuimus *in cap. L.* hoc videlicet, quod extractum est à vino (*phil. aliàs sal harmoniacum vegetabile dictum*)